

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens De Philosophia Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

Illvstr Ac Rever Caesari De Nores Comiti Tripolis Syriae Episcopo  
Parentinen Comiti Vrsarae &c.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)

MO MO  
ILLVSTR. AC. REVER.

CAESARI . DE . NORES  
COMITI . TRIPOLIS  
S Y R I A E  
EPISCOPO . PARENTINEN.  
COMITI . VRSARAE &c.



*X* omnibus humanis rebus, quae merito non modo prudentis, fortisq. uirtutem, sed etiam optimum Christiani animum, mentemq. probant, excellere duas in primis in omni aetate omnium consensu iudicatum est, utramque scilicet hominis fortunam. in illa enim, quae maxime ab omnibus felix, beataq. uocatur, atque summa in admiratione habetur, nisi adsint, quae magna ex parte a Christi habentur praeceptis, praeterea etiam uirtutes illae, quae uirum bonum exornant, singularis prudentia, illa animi etiam ratione temperata admirabilis magnitudo; quid profecto homines non mali cogitant, non perpetrantur? omnia sibi licere putant. honestum, et turpe, Dei Opt. Max. immemores, promiscue habent. Altera uero misera, infelixq. condicio cum aliquorum hominum uexat animos, cordaq. perturbat, cogitationes irritat, sensus decipit, nisi optimam in illis, sanctamq. mentem inuenit, nisi Christiani animi firmam uirtutem reperit, nisi adsit illa numquam satis laudata Catholicae fidei fortitudo, suauissimaq. futurae perpetuae beatitudinis consolatio. In his semper, in omni periculo, in quacumq. perturbatione motus pariter, ac temeritas esset, ut non modo aduersos fortunae crudelissimos impetus ferre, uerum etiam, quemadmodum optimi est Christiani uiri, fortiter frangere minime ualerent. Vtra profecto Te fortuna, Religiosissime, atq. Optime Princeps, magis illustrem, magis admirabilem, magis summa laude dignum probauerit, difficillima est deliberatio. Tu enim, nobilissimo genere natus, in  
maximis

maximis diuitijs, in summa omnium rerum affluentia, in magnis honoribus, nihil in omni aetate, nihil in omni genere uitae, quod non honestum, quod non laudabile, quod non sanctum, quod te dignum non esset, non solum non egisti, sed ne cogitasse quidem licet affirmare. nullus enim umquam locus maximis opibus ad labefactandam nominis tui gloriam esse potuit. quod contra ubiuis gentium accidisse, atque accidere quotidie saepe uidemus. Tu adhuc adolescens pulcherrimis philosophiae praeceptis maxima cum laude non solum operam dedisti, sed etiam, in quo quantum proficeres, quotidie usu ostendebas, ex tua uiuendi optima ratione leges oriri uidebantur. institutum uitae tuae non minoris sanctitatis, pietatisque, quam prudentiae ad bene, beateque uiuendum populis ditiori tuae subditis, exteris etiam, licet dicere, uiam tuo exemplo ostendebat. Haec certe magna sunt: sed ualde maiori laude digna, quae facere potuisti, nec tamen umquam uoluisse notissimum est. quod qui attendere diligenter, & considerare, adhibita in consilium ratione, uoluerit, iudicij, mentisque expertus esset, nisi fateretur, ab eo uitae tuae instituto facile fuisse iudicari, te aliquando, eximia Christianae Religionis gloria, bonorum omnium utilitati coniuncta, ornaturum esse illam, quam nunc ornas, dignitatem. Sed de his, quae admirantur omnes, a te semper acta in hac dignitate, perpetua laude digna, alibi nobis statutum est liberius dicere. ut sciant boni omnes, quo Episcopo laetari nostris temporibus nobis liceat. Ceterum haec de te praedicantur, dum omnia prospera, omnia tranquilla tibi fuerunt. Age modo, ut, quemadmodum in humanis nihil stabile, diuturnumque est, mutantur omnia, cunctaque in peius ruant: quod utinam numquam accidisset. Maiora etiam profecto in aduersis, atque magis miranda audiemus, quae tu singulari prudentia, summa fortitudine, incredibili prope Christianae fidei exemplo ferenda esse ostendisti. tibi idem animus, eadem mens semper fuit; nihil homini proprium, nihil certum, sed cuncta Dei Opt. Max. nutu regi, conseruauit. maiorem se quotidie semper ostendit animi tui magnitudo, magis miranda uirtus exstitit, maiori semper laude digna fortitudo, atque prudentia. Quamobrem liceat mihi dicere; difficillimum esse, non solum in una ciuitate, sed etiam in amplissima aliqua regione inueniri posse, qui in utraque fortuna pariter excelluerit, qui utramque laudem consecutus sit. te profecto unum non modo nostra hac tempestate, sed multorum etiam annorum memoria licet reperiri, qui efficit, ut magis in te miranda, laudandaque sint, quae non uidentur, & difficile etiam audiuntur, sed tantum ex suauissima consuetudine, ex doctrina, ex pietate, atque religione, ex quodam non satis umquam expresso sanctitatis exemplo, facile iudicari possunt. Ego uero, qui is sum, qui, tuo nomine tantummodo audito, mirifice lactor,

laetor, qui tua fruor laude, ac gloria, uolui, nec secus facere potuissem, ut  
Ciceronis Tusculanarum libri, quae ea laudanda continent, quae tua  
sunt, quae tuo ostenduntur exemplo, quae, si nostris temporibus Cicero  
fuisset, a te accepta uiderentur, tuo inscripti nomini exirent, tuorumq. me-  
ruorum, perpetuaeque meae obseruiitiae testes essent.

Vale. Venetijs. Non. Maij, CIO IO XXCIII.

Illustris. ac Reuerendis. D. T.

Addictissimus.

Aldus Mannuccius.

Paulli F. Aldi N.

ARGUMENTVM





IN  
M. TVLLII. CICERONIS  
TVSCVLANARVM  
DISPVATIONVM  
AD. M. BRVTVM

LIBRVM. I.

DE CONTEMNENDA MORTE,

Commentarius Aldi Mannuccij.

---



ARGVMENTVM

**R**OMANOS suos Cicero inuitat ad capeſcendum ſapientiae ſtudium, ut, mortis, & doloris metum remouentes, aegritudinemq. lenientes, ac reliquos affectus moderantes, beata uita potiantur. Praeclaram igitur hanc hortationem, quam quinque diebus ſapientiſſime diſputauit, hiſce quinque libris complexus eſt, & ornaſiſſimo orationis genere: praeter quam enim quod ad Brutum clariſſimum oratorem ſcriberet, poſteritatem etiam exornare uoluit ſuo labore, ac ſtudio. A nomine uillae, quae prius fuit Sullae Dictatoris, Tuſculanas diſputationes inſcribere libuit, ni mirum in quibus Stoicorum dogmata auſteriora maxime probentur: quamquam & primum earum librum ſimpliciter Tuſculanam primam uocauit in x. ad Att. In libro 2. de Diuin. clare patet certa Ciceronis in  
R ſcriptio